

**P**riuilegium Militie ac Electio in Senatorem  
& Consiliarium Secretum.

**L**udouicus Maria Sfortia Vice Comes Dux  
&c. Inter Italas Respublicas precipuo amo-  
ris & beniuolentie loco non nos solum sed illu-  
strissimi quoq; Principes predecessores nostri  
Lucenses iure semper habuerunt: q; in omni  
reruz fortuna nullis erga ipsos neq; nos mutui  
amoris & obsequii officiis unq; defuerint: quin  
totis semper uiribus & publice & priuatim au-  
gendi nominis & glorie nostre studiosissimos se  
prestiterint quorum egregie erga nos uolunta-  
tis officia: si dinumerare uoluerimus prolixior  
admodum nostra redderetur oratio uer; id pla-  
ne fatebimur preter ipsoruz Principum prede-  
cessorum nostrorum beneficia mutuo Lucensi-  
bus haetenus reddita: nos ut saltem animi gra-  
titudine eorum merita equemus: quoad rebus  
licuerit minime unq; defuturos: quin quotiens  
aliqua nobis offeratur occasio non solum Rem-  
publicam uerum etiam Ciues omnes Lucenses  
& honoribus & beneficiis oibus prosequamur.  
Qua propter cum ab ipsa Lucensi Ciuitate le-  
gatus nuper ad nos missus uenerit Spectabilis  
uir & insignis Iuriconsultus Dñs Nicolaus Ti-  
grinus cuius aduentus gratissimus nobis fuit:  
tum q; ab amicissima nobis Ciuitate missus est

rum etiam ob singularem legum scientiaz qua  
mirum in modum excellere & iter celeberrimos  
Italię Iuriscultos honestissimum locum obti  
nere perspectum habemus: adegerunt nos & ta  
ti uiri uirtus & tot Ciuitatis eius merita: ut pre  
terquam auratę eum militię insignibus hodie ho  
nestauerimus: Senatoriam quoque dignitatem  
que supremo Magistratum omnium apud nos  
loco posita est adiceremus. Itaque per has nostras  
ex certa scientia & libenti quidem animo preno  
minatum clarissimum utriusque iuris doctorem  
& equitem auratum Dominum Nicolaum Tigrinũ  
Lucensem Oratorem Consiliarium & Senato  
rem nostrum Secretum ab hac die quoad nobis  
placuerit deligimus / nominamus / facimus &  
creamus cum salario / honoribus / oneribus / pre  
heminentiis / prerogatiuis & emolumentis ei ho  
nori spectare solitis: & auctoritate / arbitrio / & iu  
re in eum Senatum eundi / sedendi / morandi / p  
posita audiendi / sententię dicende / suffragii fe  
rendi / ac reliqua omnia participandi que ad Se  
natorem pertineant & spectare soleant. Mandam  
tes Priori & Consiliariis eius Senatus / ut D. Ni  
colaum Tigrinũ benigne collegam admittant  
necnon Thesaurario generali & Magistris In  
tratarum nostrarum / ut eidem de salario &  
emolumentis respondeant / ac debitis tempori  
bus responderi integre faciant: huius enim no

stre uoluntatis testandę gratia has nostras pu /  
 blici diplomatis litteras conscribi / ac nostri si /  
 gilli impressione signari iussimus. Dat. Medio /  
 lani die. xxiiii. Octobris. M. cccc. lxxxiiii.

